

www.e-rara.ch

**R.P. Didaci de Baeza Ponferradiensis, Societatis Iesv Theologi,
Commentariorvm Allegoricorvm & Moraliu de Christo figurato in veteri
Testamento Tomi I & II [-tomus septimus]**

Baeza, Diego de

Lvgdvni, M. DC. XLIV.-M. DC. LIII

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-133529>

Caput XXXI. Sebae rebellio in David.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Luc. 2. enim, qui verè senes sunt, in solo Christo inueniunt, quo magis vigere, & vitam protendere possint. Senex ille sanctissimus Luc. 2. vbi ingressus templum vidit infantulum Iesum in Maria vlnis, statim canere coepit illud: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, &c.* Senex Berzellai se ineptum dicebat ad audiendam vocem cantorum in Dauidis Regia: senex autem Simeon, & ipse cantica facit, & illa canit in templo Domini. Et vnde senex sic canere potest, quando senes alij nec possunt audire cantores? Viderat puerulum Iesum, de cuius habitu ineptam senectutem ex uit, induitque nouum, & iuuenilem vigorem. Ait D. **Aug.** in Psalm. 39. *Simeon agnouit infantem in manibus matris, in templo, & dixit: Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Agnouit infantem senex, factus in puero, puer innouatus si de.* Sic senissimus homo in Christo innouatur, iuueniliūque annorum vigorem accipit. Dicebat Paul. ad Rom. cap. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est.* Ex quo D. Augustinus colligit, omne senium humanum renouatum. Ait enim in Psalm. 70. *Vt ait Apostolus: Vetus homo noster simul crucifixus est cum illo. Si ibi erat vetus homo noster, senectus ibi erat; quia vetus senectus: tamen quia verum est: Renouabitur sicut aquila, iuuentus tua; resurrexit ipse die tertio: pramisse resurrectionem finis saculo.* Ex quo vetusti hominis senium fuit cum Christo in Cruce, eam inde habitum hausit, quo vniuersi renouemur, & nouum accipiamus spiritum vitæ. Senissimo Abraham promittebatur à Deo filius, cui promissioni senex annuebat: cuius fidem in hoc ponderans Paulus ad Rom. 4. ait: *Nec considerauit corpus suum emortuum, cum serò centum esset annorum.* Merito Apostolus reputat, in tam proluxa senectute centum annorum mortuum esse Abraham corpus, & naturaliter generationi ineptum. Sed post natum hunc filium, & adultum, & mortuam Sarā dicitur Genes. 25. *Abraham verò aliam duxit uxorem, nomine Cethuram, qua peperit ei Zamram, &c.* Antè Isaac natiuitatem iam erat Abraham corpus ad generationem emortuum, & post multos alios annos, nouam sponsam Cethuram ducit Abraham, ex qua sibi facit filios. Vnde sic renouari Abrahamus potuit? Indigitat Origen. hom. 11. in Genes. facus: *Cethura, quam nunc senex Abraham fortitur in matrimonium, interpretatur, bonus odor. Ipse enim dicebat, sicut Paulus dixit: Quia Christi bonus odor sumus.* Vbi enim in Cethura adumbratur bonus odor Christi, non mirer, si de eius vicinitate senex reuiuiscat, nouamque induat iuuentutem. Hinc trahè dicta supra lib. 8. cap. 3. §. 12.

2. Reg. 19. Itaque omnes viri Israël concurrentes ad Regem dixerunt ei: *Quare te furati sunt fratres nostri, viri Iuda, & traduxerunt Regem, & domum eius Iordanem, omnesque viros Dauid cum eo? Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israël: Quia mihi propior est Rex, &c.*

§. X X.

In sola Christi schola inueniuntur viri, qui aliis primas cedant, vt eas Principi acquirant.

DVm Tribum Iuda, & Tribus Israël digladiantes video, pro deducendo Rege Dauid, non possum non videre vilem mortalium affectum in suos mundiales Principes. Deduxerunt Iudæi Regem, non monitis Israëlitis: quod agrè ferentes Israëlites, aduolant ad Regem dicentes: *Quare te furati sunt fratres nostri, viri Iuda, & traduxerunt Regem, & domum eius Iordanem, omnesque viros Dauid cum eo?* Et post iniuriæ rationes hinc inde agitaras, ait: *Durius autem responderunt viri Iuda viris Israël.* Sic vnusquisque acriter pugnabat, ne alter videretur esse primus debuisse erga Regem suum, quo coepit nouiter periclitari Regis fortuna. Et quando mundialium Principum fortuna non periclitatur ex eo; quod eorum ministri nolunt mutò sibi credere in muneribus administrandis: Hoc euentissimum est, quod in sola Christi schola tales ministri inueniantur,

qui sciant primas cedere, vt Principi suo lucrentur alios. Dei Sponsa dicebat Cantic. 5. *Adiuo vos, filia Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt annuncietis ei, quia amore languo.* Sic bona curabat, vt alia adirent Sponsam prius & illi suum amorem nunciarent. Cur non magis ipsa prima aduolabat, & per se suum affectum monstrabat? Ioan. 21. dicebat Petrus: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Non alios pramittit, qui nuncient. Cur Sponsa se ab aliis praueniari amat in affectu circa Sponsam nunciando? Vt validum, & verum amorem erga Sponsam ipsa habebat: sic libenter patiebatur, quod alij prius accederent, dum & ipsi similiter Sponsam amarent. Ait Rupert. ibi: *Rupert. Tu dilecta tam prudens, tamque fidelis per te metipsam, absque interuunciis, diere poteris dilecto: Tu scis, quia amore languo. Quorsum ergo tendit hac adiuratio? Ed, nimirum, vt percussa percussat, vulnerata vulneret: vt audientes filia, vel sentientes in matre tantum vita futura desiderium, presentiana & ipsa talem esse dilectum, vt iure propter illum fastidiat quilibet presens hoc saculum.* Sic non dubitat bona pramittere alia, quæ ante se Sponsam adeant, dum ipsa Sponso acquirantur. Quis hoc pateretur è mundialibus in mundialibus? Profectò soli in Christo inueniuntur, qui postponi ament, dum sint cum Christo alij. Paulus Apostolus epist. 1. ad Corinthios, cap. 1. *Vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cepha: ego autem Christi.* Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Cum res esset circa Cepham, & Apollo, & Paulum; Paulus in primis curat suam autoritatem extenuare, & ostendere rationes, vt ipse non debeat tanti æstimari. Et cur sic se demittere curat Paulus? Sanè, vt magis cæteros suo Principi Christo arctaret. D. Anselmus dicebat ibi: *Modestè, & humiliter Sanctus Apostolus zelans Ecclesiam, sed Sponso, non sibi; & hortans eos, qui voluerunt dicere: Ego sum Pauli: ego Apollo: ego Cepha, suam personam potius assumpsit, quam calcaret, & contemneret, vt Christum glorificaret. Repulit à se sed vt mittat ad Christum.* Vt verus Christi amator, & minister erat, noluit belligerare de proprio honore cum aliis; sed maluit se calcare, & contemnere, vt Christo cæteros adderet. Qui sanguinem, & vitam pro Principe mundiali profundant, multi ministri inuenti sunt: qui honorem cedant, & primas, non inuenti sunt vsque adhuc. Sed, dum pro primatu suo quisque belligerat, non raro Principis status periclitatur. In sola Christi militia inuenio, qui ament aliis cedere, vt Christo illos adiungant.

CAPVT XXXI.

Sebæ rebellio in Dauid.

Textus Historia.

DVm Iudæi, & Israëlites verbis pugnant; vnus de Israëlitis nomine Seba, filius Bochri, buccinæ sonitu omnes Israëlitas acuit in Dauidem, qui sola Iudæ Tribu stipatus Ierusalem ingrediatur: vbi Regia prudenter composita, Amasam vocat, & iubet, vt coacta ingenti militum manu, tertia die coram assistat. Plus solito morabatur Amasa. Sollicitus Dauid, ne malum mora ingrauesceret, Abisai mittit, qui quamprimùm rebellium animos confringat. Is egressus, & Ioab, Cerethi, Phelethique festinatò progrediebantur: & ecce apparet Amasa valido exercitu cinctus, quem Ioab quasi amicum, & propinquum osculaturus, miserè gladio ransfodit. Heu facinus ab ambitione profectum, & inuidia! Iacebat nobilis Dux exanimis in via, in quo multi ediscebant ambitionis discrimina; militaresque acies non parum hebetabant, videntes pro quàm fragili gloria pugnatum ibant. Necessum fuit inde amoueri, cadauer, & in vicinum agrum deductum pallio operiri, ne militares copie subsisterent; sed magis ad rebellium vindictam currebant. Ventum est in ciuitatem Abela, quò se receperat Seba, filius Bochri; quam vsque tunc cantatissimam propter prudentiam ciuium, funditus euerteret Ioab, nisi cultissimæ foeminae verbis persuasus, tantisper expectaret, dum ipsa ciues se se

de rebelli vindicant. Abscinditur miseri caput, quod de-
jectum de muro obsidionem soluit, incruentamque vi-
ctoriam dedit Dauidi.

PARS MORALIS
circa Textus Literam.

MASA, & Seba occiduntur, fidelis ille, hic infi-
du: in mundiali enim rota pariter conculcarifolent
& iusti, & iniusti.

2. Reg. 20. Accidit quoque, vt ibi esset vir
Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir
lemineus: & cecinit buccina, & ait: Non
est nobis pars in Dauid, neque hæredi-
tas in filio Isai: reuertere in tabernacu-
la tua, Israël. Et separatus est omnis
Israël à Dauid, secutusque est Seba, fi-
lium Bochri; viti autem Iuda adhæse-
runt Regi suo à Iordane vsque Ierusa-
lem. Cumque venisset Rex in domum
suam, &c.

§. I.

*Partialitas Principis nunquam non
ruinam parit.*

ECce tibi ad vnius tubæ sonitum vndecim Tribus
Israël Regem suum Dauidem deserunt: ait enim Te-
xtus de Seba: *Cecinit buccina, & ait: Non est nobis pars in
Dauid, neque hæreditas in filio Isai: reuertere in tabernacula
tua, Israël. Et separatus est omnis Israël à Dauid.* In horæ
puncto perdidit Dauid totum Israël. Et vnde tanta ruina
tam breui spatio potuit dimanare? Aiebat ipse illius au-
thor: *Non est nobis pars in Dauid.* quasi diceret: Dauid to-
tus factus est à parte Iudæ. Quod notabat Abulens. in c.
19. quæst. 39. ipse enim sollicitauerat Tribum Iuda, vt ve-
niret prior, quam Israël: ipse Israëlitas se se inuitantes
non expectauit; sed cum solis Iudæis transiit Iordanem:
ipse Israëlitarum querelas in Tribum Iuda non curauit;
sed in omnibus pro cognationis suæ Tribu stetit. Qui
ergo sic se totum in vnam cognationis partem inclinauit,
qui sic partiarius extitit, non miror, quod magnam iactu-
ram faciat. Ionæ cap. 1. nauigabat Ionas in mari fugiens
à Domino. Dominus autem misit ventum magnum in mare,
& facta est tempestas magna, & nauis periclitabatur conteri.
Et timuerunt nauæ, & clamauerunt, &c. Aded nauæ con-
sternati sunt hac tempestate, vt prorsus euasionem despe-
rarent, & à remediis adhibendis desisterent, vni fiden-
tes diuinæ potestati. Ethnici erant, & ad sortes mitte-
das currunt. Sed quid fors ad tempestatem? Cur non
magis instant vsitatis aliis remediis? Rem pulchrè argit
D. Basilius. Sel. orat. 12. *Vbi verò salutem desperauit ars, spèi
que fecerunt ante naufragium, quam vniuersis, sorte quarunt obor-
ta tempestatis auctorem. Quid his? Mare iactatur, & sortem
in medio nominas? Pro anchora sortem esse putas? Quid igitur
hinc discemus? Quod partiaria fuerit maris fluctuatio;
quodque procella hanc vnam versaret nauem; & quod aliis pa-
catum mare aduersus hos duntaxat armaretur: necnon, quod
alios placide transmitteret; cum his verò concurrens tempestas
fugacem inuestigaret. Quid pulchrius? Expende illa: Quod
partiaria fuerit maris fluctuatio. Quippe videbatur tem-
pestatas in hanc vnam Ionæ nauim dura; in alias omnes
blanda, & suavis: & dum cæteræ omnes naues tranquil-
lè nauigare cernuntur, vna nauis Ionæ ostenditur ventis
quati. In tanta maris partialitate, meritò colligitur de-
plorata Ionæ nauis: quando enim partialitas iacturas in-
gentes non parturit? Christiani regni augmentum osten-
dens Dan. 2. ait: *Abscissus est lapis de monte sine manibus,
& percussit statuam: lapis autem, qui percussit statuam,
factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Non
enim partem impleuit, & partem vacuam reliquit, quod**

Bæza de Christo figur. tom. IV.

facie partiarius animus; sed vniuersam pariter imple-
uit. Ex quo durationem Catholicæ Ecclesiæ, & rui-
nam certam Hæreticorum colligit D. August. factus in Aug.
Psalm. 98. *In ipso monte magno adoremus, si exaudiri volu-
mus. Hæretici non adorant in isto monte: quia mons iste im-
pleuit vniuersam faciem terra: hæserunt in parte, & totum
amiserunt. Planè hoc communissimum est omnibus par-
tialibus viris: Hæserunt in parte, & totum amiserunt. Cum
enim res humanæ nunquam in eodem statu consistant,
sed rotatu agantur volubili, & modò in hanc, modò in
illam partem inclinent; necessum est, vt qui in vna hæ-
rent parte, aliquando totum amittant. Hinc stabilitatem
fidei probabat D. August. concion. contra Iudæos, Pagan.
& Arrian. iniquens: *Apud Catholicam fidem, dile-
ctissimi, neueritis, tantum esse veram fidem, germanam pa-
cem, perpetuam salutem. Non enim in angulo est: sed vbiq-
ue tota est. Quæ non in parte hæret; sed vbiq-ue, & ab om-
nibus æqualiter tota inuenitur; non miror, quod ger-
manam pacem, & perpetuam pariat salutem. Bella
nanque, & ruinæ à partialitate parturiuntur.**

§. II.

Fœminarum castitas à multa irradiat custodia.

Regiam Dauid ingressus concubinas illas inuenit suas,
quas filius Absalom stuprauerat, 2. Reg. 16. Has do-
mi concludi mandat: sic enim dicit Textus: *Tulit decem
mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam do-
mum, & tradidit in custodiam, alimenta eis præbens: & non est
ingressus ad eas; sed erant clausa vsque ad diem mortis sue in
viduitate viuentes.* nimirum, vt explicat Carthul. in con-
tinentia viduali. Quæ vidualis continentia, & castitas
nullo melius probantur, quam illis antecedentibus ver-
bis, videlicet: *Et erant clausa.* Non enim nisi à multa cu-
stodia, & occultatione sui constat castitas fœminarum.
Tres Angeli sub trium virorum specie intrarunt taberna-
culum Abrahæ, mensæ accumbunt, & post prandium fi-
lium seni promittunt. Insuper Gen. 18. *Dixerunt ad Abra-
ham: Vbi est Sara vxor tua? Sciebant equidem à Sara pa-
ratum fuisse prandium, quod comederant; & ideo non
potuisse illam non esse intra tabernaculum. Cur ergo in-
terrogant de illa, vbi sit? Vt sic ostenderent, & commen-
darent maximè Saræ castitatem; quæ etiam dum fouit ho-
spites, sic clausa erat domi, vt nullis appareret viris. D. Epi-
phan. in Anchorato ait: *Vbi vxor tua est, dixit ad Abraham,
qui venit de supernis cum duobus Angelis. Si enim ignorasset,
vbi esset, non dixisset: Rist Sara, qua intus est, sed vult sic osten-
dere eius castitatem, qua exemplum est eorum, qua piete-
tem exercere volunt: quod vbi susceperint peregrinos, propriis
quidem laboribus inseruiant; verum propter verecundiam, &
castitatem faciem suam viris non ostendant. Expende illa:
Sed vult sic ostendere eius castitatem, &c. Quippe fœminæ
castitas in eo maxima ostenditur, quod sic domi clauda-
tur, vt penitus vultus eius ignoretur ab ipsis illis, quibus
ipsa beneficiat. Nunquam veram, & puram castitatem
non comitatur absconditio, & operimentum. Iesus Naue
quondam virginæ castitatis exemplar moritur aliquan-
do, de quo dicit Iosue c. 24. *Mortuus est Iosue, filius Nun,*
*seruus Dei centum decem annorum; sepelieruntque eum in finibus
possessæ suæ in Thamnathsare. Nomen autem, Thamnath-
sare significat numerum operimenti noui. Et quid est, quod
locus sepulturæ Iosue dicatur operimentum nouum? Nò ane omnibus hominibus operimentum est sepulcrum,
quo claudimur, & operimur? Cur Iosue dicitur fuisse
operimentum nouum? Dum dicit nouum aliud, vide-
tur præsupponere operimentum antiquum: vt enim Io-
sue ostendebat statum puritatis virginæ; sic semper
clausus, & opertus præsupponebatur, vt sepulcrum illi,
non operculum traheret; sed nouum operculum, vt in
vita, & in morte conclusio comitetur specialis, & custo-
dia statum virginæ. Tantùm non dixit hoc D. Hier. lib.
1. in Iouinian. factus: *Ostende mihi Iesum Naue vel uxorem
habuisse, vel filios: & si potueris monstrare, victum me esse fa-
tebor. Et corè pulcherrimum terra Iudæa in partitione acce-
pit locum: Sepeliturque in Thamnathsareth, id est, in per-
fectissimo principatu, siue in numero operimenti noui: vt vir-
ginum significaret greges, Saluatoris auxilio cooperatas in mon-
te Ephraim. Vbicunque pura, & vera castitas debet flore-****

BB re,

Abul.

Ionæ I.

Basil. Sel.

Dan. 2.

Idem.

2. Reg. 16.

Carth.

Gen. 18.

Epiph.

Iosue 24.

Hier.

re, nunquam non inuenitur, & conclusio, & velamen, & operculum. Quod spectans Tertul. lib. de velan. Virg. ait: *Vera, & tota pura virginitas, nihil magis timet, quam semetipsam: etiam feminarum oculos pati non vult; alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus iclus tentationum, aduersus suspiciones, & susurros, & emulacionem, ipsum quoque linorem. Sic ibi.*

2. Reg. 20. Dixit autem Rex Amasæ: *Conuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, & tu adesto præsens. Abiit ergo Amasa, vt conuocaret Iudam: & moratus est extra placitum, quod ei constitutum erat. Ait autem David ad Abisai: Num magis afflictorum est nos Seba, filius Bochri, quam Absalom? Tolle igitur seruos domini tui, & persequere eum, &c.*

§. III.

Reincidentia grauior.

In re tanti momenti non Ioab, sed Amasæ mandat exercitus congregari. *Dixit autem Rex Amasa: Conuoca mihi omnes viros, &c.* Et quidem Ioab nunquam non fidiſſimus in David fuit. Multis se pro illo discriminibus deuouerat, multos hostes contriuerat, clarissimas semper victorias reportarat. Quid, si aliqua commisit facinora? Etiam Amasa à parte Absalom extitit contra ipsum Davidem. Cur ergo, Ioab dimisso, Amasa eligitur in Principem militiæ? Fateor, Amasam in Davidem peccasse; sed peccauit semel, & cum maiori parte totius regni: Ioab autem non semel in Davidem durus extitit. Abnerem proditoriè interfecerat; & postea contra Regis expressum imperium, nulla necessitate coactus, Absalomem miserri- mē confecit. Ne miremur, quod à Davide seuerius puniatur, qui toties in facinora aperta currebat. De Dei enim Spiritu venit, quod citius puniantur, qui sapius in eadem crimina veniunt. Matth. 8. clamabant ad Iesum Dæmonia: *Si eiicias nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos: & ecce impetu abiit totus grex per præceptum in mare: & mortui sunt in aquis.* Et cur Dominus Iesus, cuius lenissimi spiritus erat nec calamum quassatum confringere, nunc tot ista animalia perdidit? Rem attigit D. Gaudent. tract. de Machabæis factus: *Sues semper immundi sunt; & de fonte, vel de fluuio exeuntes, iterum voluuntur in cœnum: neque vnquam intuentur calum; sed prono semper ad terram capite ventri deseruiunt. Idcirco Dominus legionem Damonum in gregem permisit ire porcorum. Id est, in eorum gregem, qui tantum ventris sunt animalia, qui nunquam caelestia intuentur; sed immunditiam semper dediti, & cæno inuoluti sunt visitorum.* Expende illa: *De fluuio exeuntes, iterum voluuntur in cœnum, &c.* Hæc est exoſissima Deo conditio, quæ nesciat persistere in munditie; sed à fluuio in cœnum currat. Huc trahenda dicta tom. 2. in vet. Test. lib. 5. cap. 25. §. 24. & tom. 3. etiam in vet. Test. lib. 7. c. 16. §. 9. & sæpè alias.

§. IV.

Qui muneris sui legibus non obtemperat, non verus est muneris administrator, sed imago.

AVdio munus exercitus congregandi demandatum modò Amasæ, deinde Abisai; nunquam Ioabo. *Dixit autem Rex Amasa: Conuoca mihi, &c. Ait autem David Abisai: Tolle igitur seruos, &c.* Nec assentior communi Doctorum existimationi putantium, munus principatum militiæ ablatum iam Ioabo, & datum Amasæ, ob Ioabi flagitia. Non assentior, inquam, huic sententiæ: quia nusquam facta est mentio talis ablationis muneris. Deinde, quia non erat tunc tempus, quando regnum Israëliticum ad eum erat in ancipiti, vt vel ad vocem Sebæ reliquerit Davidem; & supra in morte Abne-

ris, non ausus esset David castigare Ioab; quantò minùs auderet modò, vbi periculum maius, si Ioab conueniret cum Seba. Rursus, quia priuatus principatu Ioab non iret in hoc bellum: sed iuit, imò & ipse pactus est cum fœmina loquente pro ciuibus Abela. Tandem, quia, si David illum modò publicè priuasset principatu; non illum iterum à Salomone castigari mandasset pro eiusdem facinoribus, vt postea mandauit. Et hoc tantò certius, quantò Ioab supplicium priuationis sine vlla commotione, aut rebellionem tulisset; sed in Davidem fidelis perseuerasset. Non ergo David illum principatu priuauit: sed ex quo contra Regis imperium Absalonem peregnerat, de facto exercitum in principatus aliis mandabat, relinquens hominem in principatu, sed sine exercitio, vt videretur non tam Princeps militiæ, quàm talis principatus imago. Condigna satis pœna illius, qui Regis legibus, & præceptis minimè paruit. Qui enim talis est, non videtur habere munus in veritate, sed in imagine. Princeps militiæ Christianæ aduersus Diabolum, Iesus meus, quamprimùm legem circuncisionis inuenit à summo Imperatore Deo latam, impleuit. Ait enim Luc. c. 2. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, &c.* Et quidem hæc lex Iesu minimè erat necessaria; sed dura erat, & nimis austerâ, & aliquam videbatur inurere notam infamiæ. Cur ergo maluit legem hanc implere? D. Zeno orat. de Circuncis. ait: *Necesse habuit, ne phantasma putaretur, edita legis vniuersa compleve.* Bonus Princeps militiæ Christianæ vniuersas leges, & præcepta complebat, ne videretur phantasma; ratus non haberi munus in veritate, sed in phantasmate, & imagine ab illo, qui supremi Principis non seruat mandata. Hinc Deuter. 33. ex Græcis transfert D. Ambr. *Date Leui veros eius, date Leui manifestos eius, date Leui sortem suffragij sui, & veritates eius viro sancto, quem tentauerunt in tentationibus, maledixerunt super aquam contradictionis. Qui dicit patri suo, & matri suæ: Non noui te. & fratres suos non cognouit, & filios suos abdicauit, hic custodit verba tua, testamentum tuum obseruabis.* Ecce verorum Leuitarum, & manifestorum, imò verorum hominum clarissimum signum, nimirum. *Custodis verba tua, & testamentum tuum obseruabis.* Ex hoc enim censeris esse in veritate, & non in solo phantasmate, id, quod appares, si te Dei, munerisque tui legibus conformaueris. Sic D. Ambros. lib. 1. Officior. cap. 10. *illi ergo veri eius, & manifesti eius, qui nihil in corde doli habent, nihil fraudis occultent; sed verba eius custodiant. Verus est in munere, & officio, qui se eius legibus amat conformare: qui autem à legum, præceptorumve se alienat obseruantia, phantasma quoddam est, & inane rei simulacrum.*

2. Reg. 20. Cùmque illi essent iuxta lapidem grandem, quod est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere. Dixit itaque Ioab ad Amasam: *Salue, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non obseruauit gladium, &c.*

§. V.

Maximè commouet præstantes viros, quòd inferioris pretij homo pluris aestimetur à Principe.

STupeo nobilis Ducis facinus indignum, qui proditoriè Ioab Amasam propinquum suum occidit. Dicit nanque Textus: *Tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum: percussit eum in latere, & effudit intestina eius, &c.* Quid crudelius? Sed atrociter solent commoueri præstantes viri, vbi inferioris pretij alij præripiunt gratiam Principis. Dicebat in rem præsentem Carthuf.

Carth.

ethus. Specialiter Ioab indignabatur, ac inuidebat nepoti Amasæ, quod ille, qui paulò ante fuerat contra Dauid, quando ipse Ioab non sine periculo astitit ei; iam promoueretur à Rege, & loco sui esset secundus post Regem: & quantum ad hoc videbatur factum Ioab aliquem habere colorem, nisi tam proditorie hoc facisset. Planè Amasæ inferioris meriti apud Dauidem erat, ut qui in Absalonis rebellione Dauidem deseruisset, & perduelli filio adhæsisset: in quo conflictu Ioab non discessit à latere Dauidis; sed illum comitatus est in discrimine, & pro illo cum paucis aduersus innumeros hostes pugnavit. Quis tantus non atrociter indignaretur, videns se repente à Principe postponi illi tam inferioris meriti viro? Habent hunc durissimum, & rabidissimum vermem, quo passim præstantes viri in mundialibus aulis corroduntur, & impelluntur in facinora. Nota est Herodis historia ex cap. 2. Matth. vbi Magos amicè domi excepit, illòsque docuit locum, vbi Christus nasceretur, & ab illis petiit, ut se monerent de puero inuento. Illi autem post inuentum puerulum, & adoratum, in scio Herode reuerfi sunt in patriam suam. Quid tunc? Ait Matth. Tunc Herodes videns, quòd illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, &c. Quanta hæc ira, quæ Herodem in tam immane facinus impulit? Tolle facinoris immanitatem, cuius nulla potuit esse causa sufficiens: at, quòd vehementissimè corroderetur Herodes in casu illo, non mirarer multum. Fama erat paruulum pauperulum inuentum, & adoratum à Magis, ob cuius salutem prospèrandam videbat Herodes se à Magis delusum. Quare ergo non exederentur viscera eius in eo, quòd puerulus pauper plùs valuisset apud Principes illos, quàm purpura sua, & regia officia à se illis exhibita? Ait Imperf. ibi: Meritò irascebatur Herodes, qui quibus ille sedens in throno regni, & vestitus purpura suadere non poterat; hie Iesus paruulus, & iacens in praesepio, & pannis involutus placuit. Quando dicit: Meritò irascebatur, non intelligit, quòd iustè, & rationabiliter in illam iram profiliret: sed ostendit ingens irarum fomentum, volens etiam hominem sapientem iuxta sapientiam mundi impellere in maxima facinora. An non rabidissimum esset præstanti viro in regia fortuna, quòd pauper puerulus plùs illo valuisset apud Magos Principes? Heu quot isto verme roduntur quotidie in theatro mundi! Ad horum saporem loquebatur parabola illa operariorum Matth. 20. vbi post mercedem nouissimorum visam, qui primi in labore fuerunt, dum mercedem accipiunt, Accipientes murmurabant aduersus patrem familiam dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & estis. Non enim paruus erat dolor antiquorum Iudæorum, videntium se à Gentibus superari in gratia Christi. Ait D. Hieron. ibi: Omnis itaque retrò vocatio Gentibus inuidet, & in Euangelij torquetur gratia. Expende illud, torquetur: magna enim erat tortura Magnatum Iudæorum, cum videbant pauperulos Gentiles præ illis sublimatos in gratiis diuinis. Quæ tortura, ut maxima, sic etiam gloriosos mundi affliget in die remunerationis iustorum: ait enim de illis Sapient. cap. 5. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione in sperata salutis, dicentes intra se, poenitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, &c. Summa erit angustia mundialium Principum, & clarissimorum Virorum reprobatorum, cum pauperulos homunciones videant fulgere in gloria cuius Deo; se autem deiici in profundum.

Matth. 2.

Imperfect.

Matth. 20.

Hieron.

Sapient. 5.

2. Reg. 20. Interea quidam viri, cum stetit iuxta cadauer Amasæ, de sociis Ioab, dixerunt: Ecce, qui esse voluit comes Dauid, pro Ioab. Amasæ autem conspersus sanguine iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir, quòd subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amouit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Ioab, &c.

Bæna de Christo figur. Tom. IV.

§. VI.

Subditi facile rapiuntur ad facinora Principis sui.

Nunquam credam Ioab amotum à militiæ principatu, præcipuè cum videam eum à nemine reprehensum in tam immani facinore, imò vniuersos illi subscripsisse: quippe ait Text. Quidam viri, cum stetit iuxta cadauer Amasæ, de sociis Ioab, dixerunt: Ecce, qui esse voluit comes Dauid pro Ioab. Sic detestabantur defuncti audaciam. Et cum sustinerent vniuersi videntes miserum, quidam vir amouit Amasam de via in agrum; & interea clamabat, teste Carthuf. quòd iustè occisus esset, quòd dolosè fecisset moram redeundi ad Regem ultra tempus præfixum. Tandem, amoto cadauere, ipsius sanguinem calcans, transibat omnis vir sequens Ioab. Sic de tanto exercitu nullus inuenitur non assensisse Ioabi facinori: quo manifestè ostenditur, apud Ioab adhuc stetit militiæ principatum: soli enim subditi tam facile rapi potuissent in assensum facinoris tanti: quis enim non Princeps traheret tot viros ad sustinendum tantum facinus? Apocal. 12. dicitur de dracone à cælo cadente: Cauda trahebat tertiam partem stellarum. Quæ stellæ sic à dracone raptabantur? An homines, qui sicut luminaria fulgent in Ecclesia Dei? Crediderim, non tanti esse Dæmonem ad decipiendos, raptandòsve Sanctos. Erant ergo stellæ illæ Angeli? Non abnuo: cum enim sciam, illum Angelorum Principem fuisse, non mirer, si è subditis multi in facinora Principis potuissent raptari. Ait Victorinus Pictauiens. ibi: Quid dicit draconis caudam traxisse tertiam partem stellarum, bisaridè hoc accipiunt. Multi enim arbitrantur, tertiam partem hominum credentium posse eum seducere; sed verius intelligi debet Angelorum sibi subditorum, cum adhuc Princeps esset, cum transcenderet constitutionem suam, tertiam partem seduxisse. Expende illa: Cum adhuc Princeps esset, &c. quippe hoc credibilius est de illo, qui in principatu consistit, quòd multos subditorum in sua trahat facinora. In quo enim non consentiant subditi Principi suo? Nabuchodonosor suam imaginem proposuit adorandam populo: insuper & fornacem ardentem constituit, in quam reuolentes coniceret. Et ait Dan. cap. 3. Et præcepit, ut succenderetur fornax septuplum, quàm succendi consueuerat. Ad quid tam immensus rogos accenditur? An ut traherentur Babylonij in imaginis adorationem? Maximè: totus enim ille ignis aduersus tres pueros Hebræos accendebatur: de Babylonis enim, ut erant Regis subditi, nulla erat dubitatio, quòd cuiuslibet eius facinori consentirent. D. Chrysof. homil. 4. ad pop. ait: Hæc omnia aduersus tres pueros Diabolus preparauerat: non enim de subditis dubitabat; sed potius multum confidebat, quòd nullus regia legi se obiecturus erat. Sic credebat Diabolus, subditos addictos esse suis Principibus, ut ab illis speraret præcipiandos in quolibet crimina.

Carthuf.

Apoc. 12.

Victor. Pict.

Dan. 3.

Chrysof.

1. Corinth. 4.

§. VII.

Non parua infelicitas est, quòd mala nostra derisui sint hominibus.

Meritò Salius noster hoc tribuit calamitati extremae huius infelicis Principis, quòd in tanta clade insultarent ei etiam gregales milites: quippe ait Textus: Quidam viri cum stetit iuxta cadauer Amasæ, de sociis Ioab, dixerunt: Ecce, qui voluit esse comes Dauid pro Ioab. Sic & occisum ridebant, & quasi de fastuoso viro ludebant, etiam dum prostratus existeret. Quid infelicius? Ponderabat hinc Paul. ad Corinth. 1. c. 4. Christianorum primitiuorum ærumnas, dum inquit: Puto enim, quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus Deo, & Angelis, & hominibus. Nouissimos vocat, hoc est, deteriores, & quasi nullius pretij, aut dignitatis viros. Et vnde in tam vilem fortunam delapsos probat? Ait idè: Spectaculum facti sumus hominibus. Sicut spectacula fiebant ad risum, & lætitiã publicam: sic vulnera, & mortes Christianorum seruiebant populorum risibus, & ludis. Ex quo ait D. Bruno ibi:

BB 2 Noa

Bruno.

Nos dico, tanquam destinatos morti: quia idem affligimur pro Christo, ut solummodo ad mortem nati videamur: propterea vobis in mundo florentibus contempti sumus. Idem etiam, quia spectaculum facti sumus huic mundo: conueniunt enim omnes ad oppressionem, & mala nostra ludus est eorum. Hæc est non parua portio ærumnarum, quæ iustos affligunt; nimirum, quod ad eorum dolores, & despectus, sic omnes conueniant, tanquam ad spectacula; & quod de eorum malis, & mortibus risum, & ludum faciant. Nonne hoc etiam in Rege Regum Iesu factum est? Matth. 27. Tunc milites præsidis congregauerunt ad eum uniuersam cohortem, & exuentes eum chlamydem coccineam, circumdederunt ei, & placentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genuflectentes illudebant ei. Proh Deus immortalis! Hoc deerat tuis ærumnis, ut ad tuos dolores conuenirent, quasi ad choreas, & ludos spectaculi. Ait ibi D. Chrysof. hom. 88. Quasi omnes ex composito conuenissent, ita signo dato ad choream omnes Diabolus concitabat: voluptatem etenim ex contumeliis propter immanitatem suam capiebant. Agente Diabolo, Christi Domini mei dolores erant choreæ, & ludi militibus: quod ad extremum pertinebat ærumnarum.

Matth. 27.

Chrysof.

2. Reg. 20. Venerunt itaque, & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus ciuitatem: Et exclamauit mulier sapiens de ciuitate: Audite, audite: dicite Ioab: appropinqua huc, & loquar tecum. Qui cum accessisset ad eam, ait illi: Tu es Ioab? Et ille respondit: Ego: Rursumque illa: Sermo, inquit, dicebatur in prouerbio: Qui interrogant, interrogent in Abela, &c.

S. VIII.

Vna Maria prudentissima Virgo, sufficit ad destruendum Principem tenebrarum.

ERAT rebellis Seba munitus in ciuitate Abela, ciuitate nimirum, sapientum, & literatorum; quem ut caperet Dauidis exercitus, vehementissimè impugnabat ciuitatem, aded ut iam iam muri eius solo æquandi essent. Quid tunc? Ait textus: Exclamauit mulier sapiens de ciuitate, quæ Ioabum allocuta persuadet, ne inconsultè perdat ciuitatem, quæ sedes sapientiæ; sed contentus sit vno rebellis capite. Ecce, ait, caput eius mittetur ad te per murum. Ingressa est ergo ad populum, & locuta est eis sapienter: qui abscissum caput Seba, filij Bothri, proiecerunt ad Ioab, &c. Vna sapiens mulier omnia perfecit, Ioabum detinuit, Abelanos Dauidi subiecit, Seba caput abscidit, eiusque contriuit tyrandem. Et cur tantæ rei tractatus, & successus vni foemina commendantur? Nonne in tanta ciuitate, sapientiæ sede, erant plurimi alij, & sapientes, & fortes viri? Erant planè: sed ostendebatur, ut vni Mariæ prudentissimæ erant à Deo negotia sæculorum commendanda; quæ sola contritura erat caput diabolici Tyranni. Ex quo sic Deus suam valentiam commendabat Iob cap. 40. fatus: Nunquid extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? Quis hoc faceret, quod superbissimum, & validissimum Tyrannum sic liget, ut vel ab ancillula possit capi, & necari? Sanè ea est potentia solius Dei per vnâ Mariam manifestata, quæ sapientiâ suâ ferocissimum mundi Tyrannum debellauit. Quod spectans D. Bruno ferm. 2. de nat. Mar. dicebat: Considera potentiam Dei, qui tantam superbiam per vnâ Virginis humilitatem domuit. Noluit ad eam superandam caelestes fortitudines mittere: vnâ ex ancillis mandauit; cuius humilitate, & sapientiâ ille ligatus est, & superatus. O beatissima inter mulieres hæc ancilla, hæc De Mater, cuius hamo Leuiathan captus est: cuius sapientiâ, quasi latro, & vile mancipium, ligatus est. Maria prudentissima, & sapientissima ancilla, & Mater Dei valuit rebellem Tyrannum alligare, & illum nobis tradere eò culcandum.

Iob 40.

Bruno.

Pro quo dicebat Cant. 6. Pulchra es, amica mea, suavis, & decora, sicut Ierusalem: terribilis, ut castrorum acies ordinata. Vna Maria similis dicitur integræ aciei castrorum ordinatæ. Et quæ est illa acies, cui vna Maria assimilatur? Ait Apocal. 12. Factum est prælium magnum in celo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone; & draco pugnat, & Angeli eius; & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in celo. Ecce tibi tota cæli militia cum Michæle Duce stat contra draconem, quem à cælo deicit, & humi facit reptare. Quod ergo tota cæli militia facit aduersus draconem, hoc vna Maria facit. Ut meritò dicat illi Guillelm. Abb. apud Delrium: Tu quoque terribilis illa facta es, & non mediocriter, sed sicut est illa terribilis angelicus exercitus. Ut totus Angelorum exercitus draconem, proiecit, illiusque confregit animos, sic vna Maria illum eundem prostrauit, conculcauit.

Cant. 6.

Apol. 12.

Guillel.



CAPVT XXXII.

Dauid Gabaonitis satisfacit.

Textus Historia.

TRIVM annorum fames Israëlitas vexabat, cuius rigor, testante diuino oraculo eò spectabat, ut de familia Saülis Gabaonitæ vltionem, caperent. Non potuit Dauid non annuere sic volenti Deo: & pactus cum Gabonitis, septem Saülis proles illis miserè mactandas tradidit. Quinque illorum ex sorore Merob, & Hadriele natos sibi Michol adoptauerat; duos alios Saüli pepererat Respha, filia Aia. Omnes crucibus affixere Gabaonitæ, prosequente suos Respha, ingenti luctu, cuius tantus in filios fuit amor, ut diu custodiendis eorum cadaueribus à cruce suspensis inuigilauerit. Hanc pietatem Dauid æmulatus, illorum ossa cum Saülis, & Ionathæ ossibus coniungens, ea regiâ pompâ in sepulcro Cis tumulauit. Quibus pacatus Deus famem abstulit: sed noua prælia suscitauit, ut Dauid giganteam progeniem, & philistinorum nationem euelleret; & tranquillum regnum Salomoni filio seruaret. Erant enim quatuor cantatissimi Gigantes apud Philistæos, qui tribus præliis dederunt causam. Alter lesbibenob, de genere Arapha, sibi nouum ensẽ accinxerat, iurans illo auferendum Dauidi caput: quem ardentius, quàm ætas patiebatur, nactus pugnantem facile peremisset, nisi casu accedens Abisaj Regem protegeret, & hostem occysimè trucidaret. Ex quo persuadetur à suis Dauid concedere ætati, & à præliis abstinere, ne tristem finem inferret victoriis tantis. Alter Saph, nomine, & stirpe eadem, percussus fuit à Sobochai de Husati secundo in certamine. Tertius Goliath Gethæus, primi Goliathi frater, & non impar viribus, cuius hastile hastæ erat quasi liciatorium textentium. Is tantus cecidit oppressus ab Elchana, qui vertitur Adeodatus, quem Chaldæus putat filium textoris veli sanctuarij, & inde accepisse nomen polymitarij. Ab his tribus non degener apparuit vltimus in prælio quarto, notus ex digitis: quia senos habebat in pedibus singulis, & manibus. Sed aucti digiti non fecerunt hominem feliciorẽ in certamine, quin potiùs morte sua finem dedit bellicis contra Israëlitas excitatis.

PARS MORALIS
circa Textus Literam.

ERTEM Saülis filij crucibus assignantur pro peccato patris in Gabaonita piando: ne Dauid miretur, quod vnus filius eius, Iesus meus, Crucij affigatur, ut carnalium parentum, mundique peccata penitus extirparet.

2. Reg. 21. Facta est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter: & consuluit